

homine cui eleemosynam pro quotidiana missa assignavit. Consule Instit. Canon. P. Maschat cum additionibus Giraldi, tom. II, pag. 108, col. 1, ubi hæc habentur: « Beneficiatus, seu capellanus, cui incumbit onus missas quotidie celebrandi per seipsum, si ex diuturna infirmitate excedente quindecim dies impediatur eas celebrare, tenetur satisfacere per alium, ex decreto Congr. Concil. in Romana celebr. miss. 4 Junii 1689, et 17 Novembr. 1695.

« An vero, præcisa infirmitate, aliquando abstinere possit a celebratione, devotionis aut honestatis causa? Cabassut., *Jur. can. Theoria*, lib. II, cap. 28, n. 9, ex cap. *Significatum*, De præb., admittit intermissionem a celebratione duodecim dierum in quolibet anno: dummodo tamen diebus, quibus pro fundatore non celebrat, abstineat pro alio celebrare, puta pro se, vel suis parentibus: neque ei licita est talis intermissio, quando non habet onus per seipsum celebrandi pro fundatore; ex decr. ejusdem congreg. 18 Septembris 1683. »

## RESPONSIO AUCTORIS.

Dicit hic Rom. theologus, quod nimis laxa censoribus visa est Ferraris assertio. Equis enim credat posse capellanum, qui celebrare quotidie teneatur.... semel in hebdomada a celebrando abstinere? Ast Ferrariana assertio fundata est nedum in *ibi* adductis, sed insuper in præciso decreto ad id emanato a sac. cong. Visitationis Apostolicæ sub die 18 Julii 1697, relato a Monacell. edition. Roman., 1709, tom. III, in *Appendice ad Formular.*, instruct. 5, pro adimplemento onerum missarum, n. 11, jam a me allato ad litteram in verb. CAPELLANUS in communi, n. 8.

(20. Diebus tamen, quibus, ut supra, licite potest capellanus a celebratione abstinere, non potest missam pro se ipso, vel pro aliis, præterquam pro fundatoribus celebrare, et tanto minus pro hujusmodi celebratione stipendium accipere, ut constat ex responsione sacræ congregationis ad sequentia dubia ei porrecta ab episcopo Colensi (64).

(21. I. An sacerdotes obligati ratione beneficii, capellanæ, legati, aut stipendii celebrare quotidie missam per seipsum, possint aliquando a celebratione vacare? et quatenus affirmative?

II. Quando, et quoties a dicta celebratione vacare possint?

III. An diebus licitæ vacationis possint missam pro se ipsis, vel aliis præterquam pro fundatoribus celebrare? et quatenus affirmative?

(64) *Additio novissima ad auctoris responsionem num. 20 appositam.* — Illud tamen decretum, ex peculiaribus propositi casus adjunctis editum, ad omnes capellanos protendi non potest. Itaque Benedictus XIV *De sacrificio missæ* lib. III, cap. 5, num. 6, recensitis auctorum de hac questione opinionibus, inquit: « Nos... rebus judicatis imixti dicimus, eos sacerdotes, qui habent onus celebrandi per se ipsos, posse interdum omittere celebratio-

IV. An pro aliis celebrando, possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere?

V. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur missam ab aliis celebrari facere juxta intentionem fundatorum?

VI. An sacerdotes, ut supra, obligati celebrare missam quotidie absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

Sacra congregat. Conc. die 18 Sept. 1683 ad primum et secundum respondit *affirmative*, concurrente aliqua rationabili causa. Ad tertium, quartum et sextum negative; ad quintum distulit resolutionem; lib. XXXIII, fol. 311.

(22. Beneficiatus, cui impositum est onus, ut debeat continue singulis diebus missam celebrare, et si cessaverit eam celebrare, teneatur, v. g. solvere duos julios pro qualibet missa non celebrata, non potest unquam vacare, nisi suppleat per alium. Sic decrevit sacra congregat. Conc. 17 Sept. 1664. (23. Non tenetur tamen neque per alium celebrare tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies, ut declaravit sac. congregat. Concil. 17. Novembris 1695.

(24. Ex concilio autem provinciali Mediolanensi septimo tit. *De missis*, capellanus, seu beneficiatus deobligatur a celebrando, et supplendo per alium ratione infirmitatis, etiamsi per mensem integrum ægrotet; habentur enim ibi præcisa verba. « Si capellanus saltem per annum functus sit suo munere celebrandi in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleemosynam judicio episcopi accipere potest; » et in hoc consentiunt etiam doctores magis communiter.

(25. Capellanus qui habet onus celebrandi singulis annis unum anniversarium triginta, vel quinquaginta missarum pro anima fundatoris, non tenetur facere celebrare missam cantatam, quia, nisi aliud exprimitur in fundatione, tale anniversarium intelligitur de triginta, vel quinquaginta missis privatis eadem die anniversaria celebrandis, juxta mentem fundatoris. Sic decrevit sacra congregat. Conc. 13 Januarii 1691.

(26. Capellanus non tenetur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatæ est otiosum et infructiferum sine sua culpa; ut si capitale dotis, vel legatum relictum cum onere missarum consisteret in pecunia in capsâ retenta per heredem legantis solvenda, vel si data ad censum, fuerit restituta, donec non sequatur investimentum in bonis frugiferis, vel constituatur alius census frugiferus, capellanus, sive ecclesia, vel alius locus pius, cui fuit injunc-

nem missæ, si legitima intervenerit causa, neque tamen eo die quo omittunt sacrificium facere pro institutore, missam pro alio celebrare posse, multoque minus eleemosynam accipere: questionem autem illam, an omittens celebrare, debeat supplere per alium, sub judice relinquimus. De hac autem fuse Giraldi, *Æxposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 366.

tum tale onus missarum, non tenetur ex propriis aliis redditibus ad celebrationem ipsarum missarum. Sic decrevit sac. congregat. Concil. 15 Sept. 1677, et in *una Fosempromien*. 7 Junii 1687, ad. 5, et in *una Monopolitana* 8 Augusti 1705.

(27. An habens obligationem, sive ex hæreditate, sive ex legato, sive alio titulo faciendi celebrare missas, si pro ipsis celebrandis tradiderit congruam eleemosynam sacerdoti quem putabat probum et fidelem; et postea dubitet, vel sciat eas non celebrasse, teneatur iterum congruam eleemosynam solvere alteri sacerdoti qui eas fideliter celebrat? La Croix lib. VI, par. II, n. 149, cum Bardi et Schilder ibi allegatis, censet quod ipse satisfecerit suæ obligationi, et non teneatur amplius aliam eleemosynam solvere pro ipsis celebrandis, quia defunctus censendus est tantum voluisse obligare ad dandum stipendium, et curandum prudenter quantum in se est, ut missæ celebrentur. At nos cum distinctione respondendum censemus: vel enim habens talem obligationem, illam habet ex debito speciei, id est ratione rei particularis ac determinatæ sibi individualiter relictæ, seu traditæ pro faciundo celebrare tot missas ut ratione determinati vasis argentei, equi, vestimenti, libri, et hujusmodi ad id sibi traditi seu relictæ; et tunc si talem individualem rem tradidit, et consignavit sacerdoti probæ et fidei, existimato pro ipsis missis celebrandis; quamvis postea resciat ipsas non celebrasse, non tenebitur ad aliam solutionem pro ipsis celebrandis; arg. l. *Argentum* 20, ff. *Commodati*, et cap. unico *De commodato*; et ratio est quia quoties, omni debitoris culpa seclusa, res in individuo debita perit, domino suo perit, l. *Leptos* 12, et l. *Quod si neque* 14, ff. *De periculo et commodo rei venditæ*, l. *Si dominum* 9, cod. *De pignoris*, cum similibus: vel autem illam obligationem habet ex debito generis, id est ratione hæreditatis, pecuniæ, tritici, vini, olei aliarumque rerum sibi relictarum aut legatarum, non secundum individuum ac determinatam, seu singularem substantiam, sed secundum pondus, numerum et mensuram, et tunc licet congruam pro ipsis missis legendis tradiderit eleemosynam sacerdoti fidelissimo existimato; si resciat ipsas non celebrasse, tenebitur ad aliam solutionem pro ipsis celebrandis. Et ratio est quia cum talis sit obligatus sit debitor generis, non vero hujus aut illius individui seu specialis materiam per infidelem sacerdotem defraudatæ et consumptæ, hac ipsa pereunte, durat adhuc ejus obligatio; genus enim perire non potest; l. *Incendium* 11, cod. *Si certum petatur*. Et ad id videtur facere resolutio S. C. C. in *Alban*. 10 Mar. 1742, apud *Thesaurum resolutionum S. C. C.*, in resolutionibus dicti anni allata a nobis sub verb. *Hæres*, n. 3. In hoc enim casu videtur discurrendum esse

(65) *Nota Romani theologi.* — Si inconsulto creditore res transmissa fuit, non videtur creditori perire, qui in transmissionem illam nullo modo consenserit, sed potius debitori, cui tota debetur

eodem modo ac de casu debitoris ex contractu, seu re accepta, qui, si rem debitam inconsulto creditore, transmittat per personam fidelem, et ex malitia illius personæ fidelis habitæ, vel quocunque casu ad dominum non perveniat aut pereat, tunc si debitum sit determinatum in individuo, ut hoc vas argenteum, hic equus, hæc vestis et hujusmodi, perit ipsi domino seu creditori et non debitori, et debitor liberatur ab onere ulterioris et reiteratæ restitutionis; secus autem, si debitum non sit determinatum in individuo, sed solum in genere aut specie, seu æquivalenti (65).

(28. Missa parochialis applicari debet pro populo ipsorum curæ commissio omnibus diebus festis, non solum a parochis, sed etiam a vicariis deputatis ad tempus, aut alias amovibilibus, Benedictus XIV, in constit. incip. *Cum semper*, § 2 et 4. (29. Idque non obstante defectu congruæ, aut qualibet contraria consuetudine. Idem, *ibid.*, § 5.

(30. Quod intellige de diebus festis, quibus populus missam audire tenetur. Idem, *ibid.*, § 6 et 7. (31. Dispensari tamen potest ab ordinario cum parochis pauperibus, ut aliis diebus infra hebdomadam applicent missam pro populo. Idem, *ibid.*, § 8.

(32. Patriarchales, metropolitanæ, cathedrales et collegiatæ ecclesiæ tenentur quotidie celebrare, et applicare missam conventualem pro benefactoribus suis in genere, non obstante quavis, licet immemorabili, consuetudine in contrarium. Idem, *ibid.*, § 11.

(33. Per missam cantatam in suffragium alicujus benefactoris, vel benefactorum in genere, quæ foret imposita, non satisficit oneri missæ conventualis. Idem, *ibid.*, § 12 et 13.

(34. Ubi a beneficiatis vel mansionariis celebretur missa conventualis, iisdem suppeditetur eleemosyna ex distributionum massa quæ, si attenda earum tenuitate, adeo minuantur, ut negligantur, recursus haberi poterit ad congregationem Concilii, quæ ad solos dies festivos prædictæ missæ applicationem restringere poterit. Idem, *ibid.*, § 18 et 19.

(35. Rubricarum mandatis super duabus et quandoque tribus missis conventualibus cathedrales et collegiatæ ecclesiæ districte parere tenentur, easque omnes, ubi id consuetudo obtinuit, applicare pro benefactoribus; et consuetudine minime obstante, applicatio primæ erit benefactorum suffragio reservata, reliquarum libera, dummodo eorumdem benefactorum non obliviscantur in commemoratione defunctorum omnium. Idem, *ibid.*, § 20, 21, 22.

Si canonicus parochus, aut onere missarum alias gravatus, missam conventualem celebret, hanc applicare tenetur pro benefactoribus in genere, et per alium supplere

transmissio, modusque transmissionis, et quidquid defectu hujus transmissionis, vel ejus occasione subsecutum est.

missas quibus particulariter manet adstrictus. Idem, *ibid.*, § 15.

\* Beneficiatus cui injungitur a testatore celebratio missæ certis diebus, non explicata applicatione pro se, vel pro aliis, debet illis diebus missam applicare pro fundatore ejusdem beneficii, ut S. congregatio Concilii sæpius respondit. *De sacr. miss.*, lib. III, cap. 9, § 2.

Idem dicas, si fundator mandaverit orare pro se in missa, nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur etiam fuisse ejusdem fundatoris mentem, ut si, pluribus capellanis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus S. congregationis, *ib.*, § 3.

(39. Sacerdos qui beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere, non vetatur, sed neque reprobatur contraria sententia id negans, et decreta sacræ congregationis Concilii non apparent; *ibid.*, cap. 22, § 7.

(40. Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem beneficii, quod demonstret testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex decretis S. congregationis. *Ibid.*

(41. Sacerdos ratione beneficii obstrictus bis vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus, vel altaria quædam singulis hebdomadis missa careant. *Ibid.*, lib. III, cap. 6, § 8.

(42. Canonicis in cathedralibus et collegiatis qui, juxta præscriptum rubricæ, certis quibusdam diebus plures missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus, nunquam a sacr. congregatione decisum est. *Ibid.*, § 9.

(43. Alia ad rem, quoad tradita supra n. 24, vide et verb. RESTITUTIO, art. 4, n. 24, 25, 26.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Obligatio celebrandi missam conventualem de jure inest ecclesiis cathedralibus et collegiatis, cap. *Cum creatura*, De celebrat. missar. (45. At sunt plures ecclesiæ communitativæ quæ ex speciali titulo hac itidem obligatione tenentur. 46. Dubitatum autem fuit an sicuti in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, ita et in ecclesiis hisce communitativis applicanda sit missa conventualis pro benefactoribus. (47. Et affirmative respondit sac. congreg. Concil. interpres duabus ecclesiis communitativis diocesis Prænestinæ, quæ novissime eam hac de re consuluerunt, ex mandato facto ab eminentissimo episcopo in visitatione. (48. Et jure meritoque, nam regulariter obligatio haud debet esse sejuncta ab applicatione. (49. Accedit quod si est hæc obligatio applicandi in

cathedralibus et collegiatis, in quibus celebratio missæ conventualis inducta dici potest pro majori cultu ipsarum, potiori jure esse debet in mox dictis ecclesiis communitativis, in quibus minus urget mox dicta ratio.

(50. Differunt itaque ecclesiæ cathedrales et collegiata a communitativis quoad celebrationem tantum, scilicet quod illæ de jure tenentur ad celebrationem missæ conventualis, hæc vero non nisi ex speciali titulo.

(51. Cæterum, si ecclesiis communitativis sit hæc obligatio celebrandi ex titulo speciali, esse tunc debet et obligatio applicandi, non secus ac in cathedralibus et collegiatis, nisi contrarium clare constet.

(52. \* Cum in pluribus extra Italiam diocesis Christianus populus iis diebus festis, quibus ipsi exercere servilia opera fas erat, manente tamen præcepto de missa audienda, solutus etiam hoc onere Apostolica indulgentia fuerit, orta quæstio fuit: « tenerentur ne parochi illis diebus missam, ut antea, pro ovibus sibi creditis applicare; » et quæstione a S. congregatione de Propaganda Fide mature expensa, responsum fuit missionariis qui hanc quæstionem proposuerunt, « teneri. » Nec S. congregationis Concilii discrepans sententia est. Nam Pontifices, qui Christianam plebem onere audiendi sacrum illis diebus liberarunt, non propterea parochos onere rem divinam pro populo iisdem diebus faciendi liberarunt, neque enim onus parochi sacrificium pro plebe sibi credita offerendi ex hoc oritur, quod plebi onus missæ audiendæ incumbat, adeo ut, hoc sublato, illud quoque tollatur\*.

#### ARTICULUS IV.

*Missa quoad locum in quo possit vel non possit celebrari.*

##### SUMMARIUM.

1. Missa de jure communi et ordinarie non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, vel saltem legitima auctoritate benedictis. — 2. In casu tamen quo magna urget necessitas potest a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis nec benedictis. — 3. Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum et hujusmodi, ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis et benedictis locis celebrari nequit. — 4. Ita etiam, si ecclesiæ essent diruta, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ. Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium, et hujusmodi. — 5. Nec potest censer, quod concilium Tridentinum voluerit prohibere celebrationem extra loca sacra et benedicta in his casibus magnæ necessitatis. — 6. An missa possit celebrari super navibus in mari, vel flumine? ad n. 9. — 10. Episcopi et majores prælati, etiam si essent cardinales, non possunt concedere facultatem celebrandi in locis non sacratis et non benedictis. — 11. Imo nec ipsi possunt celebrare extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, sive propriæ, sive alienæ diocesis: vide tamen declarationem allatam sub verb. ORATORIUM, n. 70. — 12. Regulares, quantumvis privilegiati, non possunt hodie celebrare ubivis in altari portatili, aut in aliqua

domo privata, aut alio loco non sacro vel benedicto, nisi adsit specialis concessio, aut novum privilegium Papæ. — 13. Regulares an possint in propriis conventibus et extra conventus in grangiis et domibus ruralibus habere oratoria privata et ibi celebrare, et an alii ibi celebrantes, et missam audientes satisfaciunt præcepto audiendi missam? *remissive*. 14. Non celebrans missas in loco designato, v. g. in ecclesia, vel in altari convento, vel ex pacto, vel ex testamento, si hoc faciat absque justa et rationabili causa, peccat mortaliter. — 15. Si vero hoc faceret ex rationabili et justa causa, ut si altare esset dirutum, vel ecclesia in alium locum translata, tunc non peccaret. — 16. Sive tamen non celebret in loco convento et designato cum justa, sive absque justa et rationabili causa, non tenetur iterum in eodem altari, vel ecclesia celebrare, aut ad aliquam restitutionem, ut compenset sacrificia alibi celebrata. — 17. Missarum onera relicta in determinata ecclesia, seu capella, non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia. — 18. Imo neque nuntius Apostolicus potest concedere indulgentiam, quod missæ celebrandæ in loco a testatore designato, alibi celebrentur. — 19. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate executorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. — 20. Missæ ad satisfaciendum elemosynis alicui ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem ecclesiæ: et generales ordinum non possunt de se celebrare facere in monasteriis aliarum civitatum, etc., missas pro quibus uni tantum ecclesiæ fuerunt elargitæ elemosynæ. — 21. Missæ relicta a testatore, ut celebrentur in determinata ecclesia regularium, ex una decisione sacræ congreg. sunt celebrandæ ab ipsis regularibus, nec possunt hæredes pro suo libito tali celebratione deputare sacerdotes sæculares, vel alios regulares, etiam si testator non expresserit, per quos essent celebrandæ. — 22. Ex post tamen fuerunt edita contraria decreta, in quibus fuit decisum electionem capellani pro celebratione missarum in ecclesia eorumdem regularium per testatorem non factam, spectare ad hæredes. — 23. Et si regulares nollent consentire, nec commodum et patientiam præstare sacerdoti sæculari deputato pro tali celebratione missarum, tunc conceditur oneris translatio ad aliam ecclesiam de licentia ordinarii; novissime autem fuit resolutum contrarium, *ubi supra* n. 21. — 24. In suis ecclesiis non licet regularibus admitti sacerdotes sæculares ad missam celebrandam contra prohibitionem episcopi. — 25. Sacristæ seu præfecti ecclesiarum regularium adstringi possunt ad non permittendam celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita ordinarii licentia. — 26. Presbyteri, qui capellani non sunt, possunt prohiberi ne accedant ad celebrandum in ecclesiis monialium etiam regularibus subjectarum, vel alias exemptarum. — 27. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii. — 28. In ecclesiis monialium non debent regulares celebrare missas absque licentia episcopi; et si in illis ex dispositione testatoris onus habent celebrandi, onus transferatur ad eorum ecclesiam. — 29. Missa non est celebranda in ecclesia polluta. — 30. Celebrans vero in ecclesia polluta, licet peccet graviter, nullam tamen censuram vel irregularitatem incurrit. — 31. Missa non est celebranda in loco interdicto et ibi celebrans fit irregularis. — 32. Nec potest celebrari in loco in quo sepultus est paga-

(66) *Nota Rom. theologi.* — Concursus populi causa sufficiens non est, ut extra sacrum locum sacerdos celebrare possit sine dispensatione superioris ecclesiastici, qui a lege ecclesiastica, quæ sacrum in loco sacro fieri jubet, sacerdotem absolvat. Hoc

nus seu infidelis. — 33. Nec ubi sepultus est excommunicatus vitandus. — 34. Poterit tamen ibi celebrari, si inde extrahantur cadavera, et ecclesia consecratur vel benedicatur. — 35. Capitulum nequit celebrare missas in ecclesiis regularium, ipsis renuentibus. — 36. Missæ celebrandæ ex elemosynis a confratern. collectis, in ejusdem ecclesia celebrari debent. — 37. Missæ celebrandæ sunt in ecclesiis per testat. designatis; et hoc non expresso, in sepulchrali ecclesia, ad n. 38. — 39. Missarum celebratio scribenda est in libro in sacristia servato. — 40. Alia notabilia ad rem, ad n. 51. — 52. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 64.

(1. Missa de jure communi, et ordinarie non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, aut saltem legitima auctoritate benedictis, ex Clement. 1, epist. 3, et ex cap. primo, De consecrat., dist. 1, ubi habetur: « Missarum celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, can. *Sicut* 11 De consecr., dist. 1, ubi habetur: « Nec in aliis quam Domino sacris locis, id est in tabernaculis divinis precibus a pontificibus delibutis, missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas; » et ex Tridentino sess. XXII, in decreto *De observandis in celebratione missarum*, ubi prohibetur episcopis ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi. » (2. Dicitur notanter *de jure communi et ordinarie*, quia in casu quo magna urget necessitas, posset a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis, nec benedictis, ut tenent communiter doctores, et clare ostendunt mox citati canones cap. 2, De consecrat., dist. 1, per illa verba, « absque magna necessitate fieri debere: » et cap. 11, De consecrat., dist. 1, per illa verba « nisi summa coegerit necessitas. »

(3. Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum, et ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis, et benedictis locis celebrari nequit. Ita etiam si ecclesiæ essent diruta, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ, cap. *Concedimus* 30, De consecrat., dist. 1. (4. Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium. In his enim et similibus necessariis casibus, de communi doctorum etiam absque licentia episcopi, si absens sit, et difficulter adiri possit, ipso jure potest quilibet sacerdos licite celebrare (66). (5. Nec

enim in casu pars illa populi, quæ ingredi locum sacrum non posset, vel extra ecclesiam consistere animo satisfaciendi præcepto de missa audienda deberet, vel si id facere non posset, non teneretur audire missam.